

INSTRUCTIO PRACTICA

DE MUNERE

CONCIONANDI, EXHORTANDI, CATECHIZANDI.

BIBLIOTECA CENTRAL

TOBIAS LOHNER

INSTRUCTIO PRACTICA

DE MUNERE

CONCIONANDI. EXHORTANDI. CATECHIZANDI.

CONTINENS

NON TANTUM PRECEPTA AD ARTEM CONCIONANDI DISCENDAM ACCOMMODATA, SED
ETIAM IDEAS ET CONCEPTUS PRACTICOS PRO CONCIONIBUS IN FESTIS B. V.
ET SS. DEDICATIONIS, PATROCINII, NOVI ANNI, PASCHATIS, PARASCEVES:

ITEM

IN PRIMITIIS SACERDOTUM, PEREGRINATIONIBUS, CONGREGATIONE ROSARII, FUNERIBUS
ET SEPULTURIS, ET APUD RUSTICOS INSTITUENDIS.

AD

NEO-PAROCHORUM,

ALIORUMQUE CURAM ANIMARUM GERENTIUM USUM, ET UTILITATEM COMPOSITA.

PRÆFATIO AUCTORIS

AD RR. DD.

NEO-PAROCHOS,

ET EORUM COOPERATORES.

Quam utile, quam præstans, quam propriam animarum curatoribus sit concionandi, seu Verbi divini disseminandi munus, usque adeo quotidiana experientia testatum est, ut latere neminem queat, nisi qui præstantissimos et copiosissimos fructus a Christo, Apostolis, SS. Patribus, aliisque facundissimis concionatoribus, ex concionibus suis relatos ignorat. Quam vero idem etiam prædicatoris Evangelici munus laboriosum, quam arduum, quam difficile sit, nemo profecto testari melius potest, quam vos ipsi RR. DD. Neo-Parochi et Cooperatores, qui, cum tempore studiorum vestrorum omnes propemodum cogitationes curasque ad necessariam Philosophiæ, Theologiæque speculativæ vel moralis scientiam comparandam converteritis, nihil minus, quam vel de necessario ad conciones habendas apparatu; vel de præceptis ad artem concionandi discendam præscribi plerumque solitis, hauriendis cogitabatis. Accedit, quod eandem artem addiscere volentibus, non raro etiam instructoris, qui posset, aut vellet in ea instruere, copia aut occasio defuerit; unde necessario consequitur, ut quoniam hæc ars perinde ac aliæ sine perito instructore non addiscitur, ad curam animarum, atque adeo concionatoris etiam Evangelici munus statim post studia finita et Sacerdotis susceptum Ordinem applicati, ingentem in tot concionibus ad populum habendis difficultatem plerumque sentiat, et non raro etiam fructum vobis et aliis desideratum non referatis. Quæ causa fuit, ut, quemadmodum pro singulari meo erga vos affectu, instructiones sex practicas circa alias muneris vestri functiones composui, typoque commisi, ita de hac quoque nobilissima, utilissimaque prædicatoris Evangelici functione similem vobis instructionem efferre decreverim. Nam, etsi non ignorem plures hinc inde libellos de simili materia fuisse impressos, si tamen vel plerumque ad manum vobis non sunt; vel, quia nuda dumtaxat præcepta continent merito ad dictam concionandi artem addiscendam minus sufficientes creduntur, cum, ut recte Seneca notavit, longum iter sit per præcepta, breve et efficax per exempla. Hunc itaque defectum instructio hæc supplebit, upote in qua non tantum præcepta ad hanc artem pertinentia ex optimis quibusque auctoribus collecta proponentur, sed practicæ etiam idæ ad materiam et temporum Festorumque varietatem accomodate offerentur. Unde tres præcipue partes hæc instructio complectetur, quarum prima naturam, materiam et formam ipsius concionis explicabit; secunda praxim ipsam per varia concionum exempla practica proposita docebit, et ita quidem, ut non modo unum pro quovis concionis genere exemplar, sed plures etiam conceptus pro similibus concionibus frequentius habendis breviter indicentur. Tertia praxim utiliter tradendi Catechismum indicabit. Qui tamen ipse labor ne aut temere a me susceptus, aut certe minus utiliter impensius cuiquam videatur, de quinque capitibus ad intentionem meam clarius cognoscendam necessariis præmonendos vos duxi.

Primum est, me in tota hac instructione non id quaerere, ut, qua ratione con-

ciones in primariis aularum et præcipuarum civitatum Cathedris haberi debeant, ostendam; pro his enim cum exercitati in arte concionatoria magistri plerumque constituentur, imprudens sane et temerarius forem, si vix discipuli dignum nomine tales tantosque magistros instruere præsumerem; illud ergo unicum mihi propositum fuit, ut Thirones in hac arte nihil aut perparum instructos ruditer instituerem, et quomodo conciones pro rudi et rusticano populo instruendo, fructuose facillique labore formare debeant, edoceram, ad quem finem utique nec conceptus ingeniosi et subtiles, neque verba exquisita stylusque multum elevatus necessarii fuerant.

Alterum est, me ideas concionum non pro omnibus Dominicis et Festis (hoc enim minus conforme fuisset instituto et fini mihi proposito) sed pro iis dumtaxat festis et concionibus, in quibus adverterem novos Sacerdotes majorem plerumque difficultatem conceptuumque inveniendorum inopiam experiri (quales v. g. sunt conciones in festis SS. Dedicacione, Patrocinio Templi, Novo anno, Parasceve, Paschate, Primitiis Sacerdotum, Peregrinationibus, Congregatione Rosarii, Funeribus et Sepulturis, aut etiam apud Rusticos instituendæ) attulisse; ex his namque bene intellectis et practicatis non difficile erit, in aliis quoque Festis aut Dominicis similes conciones formare.

Tertium est, in ipsis etiam conceptibus, qui concioni principali ordinarie subijuncti sunt, succinctum me potius, quam prolixum fuisse, eo quod non raro audiverim, in conceptibus potius inveniendis, quam iisdem dilatandis et amplificandis difficultatem sentire juvenes concionatores, maxime circa funebres exhortaciones apud sepulturam, quæ frequenter admodum recurrunt, faciendas, quæ, qui plerumque quadrantem horæ excedere non solent, non erit operosum exhortatori, reliquum, quod conceptui superaddendum erit, adjicere, maxime si bibliothecam meam manualementem, quam eum in finem collegi, typoque preparavi, quondam nanciscatur; in ea namque copiosam prolixius de quacunque doctrina concionandi materiam reperiet.

Quartum est, me in ideis proponendis non modo scopum ipsum, seu doctrinam probandam, sed etiam syllogismum principalem ad talem doctrinam persuadendam adhibendum concioni præmissis, ut ex eorum inspectione clarius cognoscat juvenis concionator, quod collimare in concionibus debeat: nimirum ut non illustret dumtaxat intellectum docendo, quæ agenda vel omittenda sunt, movendo etiam, et persuadendo, ut actu ea facere, vel omittere decernat, id quod saltem implicite per syllogismum legitime concludentem fieri oportet. Unde quia ad talem persuasionem eadem interdum historia et sententia in diversis concionibus valde conducere censebatur, mirari aut ægre ferre nemo debet, sæpius easdem in diversis locis fuisse narratas aut citatas, cum facile contingere queat, ut is, qui uno in loco illas reperit, altero in loco eas non legerit, aut certe non sciat, vel meminert, etiam in alia concione adhiberi posse.

Quintum et ultimum est, neminem ex eo, quod in primariis Cathedris munere concionatoris constanter non sim functus, nec in extraordinariis etiam concionibus famosi nomen concionatoris sim sortitus, absterri ab hujus instructionis usu debere, sed satis cuivis esse posse, quod doctrinas quidem generales a celeberrimis concionatoribus mutuatus sim; ideas vero practicas boni concionatores, et prudentes æstimatores ad finem, quem præfixi, rudes scilicet et plebeos concionatores informandos non parum utiles esse judicaverint, ideoque ut prelo publico eas committerem, non semel sint hortati.

Quare nihil superest, nisi ut hunc laborem vestra potissimum de causa, et divine gloriæ, salutisque alienæ studio susceptum boni consulas, atque instructionem istam non tantum semel, iterumque perlegatis, sed etiam assidua praxi in vestram et Parochianorum vestrorum utilitatem convertatis.

PARS I.

DE OFFICIO IPSO CONCIONATORIS.

PROÆMIUM.

Cum quidam legis Doctores MATTHEI XXII. Christum interrogarent, quod esset mandatum magnum in lege? Respondit Christus: *Diligens Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et in tota mente tua, hoc est maximum et primum mandatum.* Ex quibus verbis recte videtur colligi posse, mundum hunc Academiæ similem esse, ad quem Pater Cælestis omnes filios suos ablegat, ut artem illam præstantissimam amandi Deum addiscant; quia vero anima ad sustentationem cibo æque indiget, ac corpus, ideo convenientissimum Deus filiis suis ad Academiam hanc ablegatis cibum providit, nempe Verbum Dei; hoc enim cibum animæ esse jam olim DEUTER. CAP. VIII. indicavit, et Christus MATTH. CAP. IV. Diabolo ipsum tentanti repetivit, dicens: *Non in solo pane vivit homo sed in omni verbo, quod exiit de ore Dei.* Hoc ipsum clarius postea S. Ephrem ostendit, cum quondam, dum orationi vacaret, vocem sibi dicentem audivit: « Ephrem manduca; » cumque subjiceret ille: « Quid manducabo, aut quis mihi cibum præbebit? » respondit eadem vox: « Abi ad Basilium, hic te docebit, et panem æternum tibi porriget. » Confestim ergo surgens Ephrem quæsit Basilium, et in templo concionantem invenit, collegitque hunc tandem esse panem, et cibum, quem vox de coelo delapsa promiserat. Ad hunc ergo cibum præparandum, et filiis suis tempore constituto offerendum Deus Sacerdotes potissimum elegit, ut adeo recte concludatur, Concionatores esse quasi Patres familias, quorum unicum officium sit Auditoribus suis a Deo commissis suo tempore diligenter, et bene præparatum cibum spiritualem verbi divini proponere, ex qua similitudine omnia, quæ ad munus Concionatoris rite obeundum requiruntur, pulcherrime facillimeque eruuntur, uti ex dicendis clarius patebit.

De præstantia hujus muneris.

Constat experientia, tanto majorem in munere suo obeundo diligentiam a quovis adhiberi, quanto majorem de illo æstimationem concepit; ut ergo etiam Concionator munus suum tanto majore cum fervore obeat, non parum utique proderit, si ejusdem muneris præstantia utilitasque ob oculos ei ponatur, quæ quidem ex similitudine Patris

familias congrue colligi potest; ut enim hic munus suum ob triplicem potissimum finem magni æstimat, et amat, nimirum quia optima habet occasionem per illud sibi demerendi parentes suorum convictorum, ipsorum vero convictorum amorem in longum tempus duraturum conciliandi, et tandem proprium suum commodum non leviter promovendi. Ita merito quoque Concionator munus suum magni facere debet, utpote per quod ei egregia occasio offeratur, amorem suum erga Deum, proximum, et seipsum demonstrandi, in quo

triplici amore tota hominis dignitas felicitasque consistit, unde, ut ad hunc amorem tanto efficacius incitetur, non parum proderit, si illud Christi dictum ad sanctum Petrum JOANNIS c. XXI. in memoriam revocet: « Simon Petre amas me? pasce oves meas; » idem ergo sibi quoque dici putet Concionator.

Et primo quidem imaginetur sibi Christum sic eum alloqui: « Fili, diligis me in me ipso, id est, propter bonitatem meam infinitam omni amore dignissimam? Pasce filios meos verbo meo; sic nimirum amorem erga me tuum clarissime demonstrabis. » Et vere ita est; quod enim clarius argumentum amoris exigi a Concionatore potest, quam si non ipse tantum Deum et Christum ex corde diligit, sed etiam, ut idem ab aliis copiose præstetur, per verba et ferventes conciones efficere studeat? Si Christus MATTH. XXV. dixit: « Amen dico vobis, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; » quidni imaginem sibi a Concionatore charitatem præstitam reputet, si hic tam pretiosum verbi divini cibum tam frequenter et amanter tam multis Auditoribus offerat? annon cum magno concionatoris solatio olim ad illum in extremo iudicio dicit: « Esurivi, et tu dedisti mihi manducare? »

Secundo imaginetur sibi dici iterum a Christo: « Fili, diligis me in proximo tuo? pasce oves meas verbo meo; » sic enim præceptum charitatis proximi toties et tam studiose a me inculcatum perfecte implebis; et merito, si enim tantopere commendatur charitas S. Joannis Eleemosynarii, qui vitam corporalem pauperum tam profusa elemosyna sustentavit, quanto magis merebitur et zestimari, et laudari Concionatoris charitas, qui tam multis tam frequentem et præstantissimum cibum animæ offert, ut vitam spirituales gratiæ gloriæque habeant, et abundantius habeant?

Tertio imaginetur sibi dici tertia vice a Christo: « Fili, diligis me in te ipso? pasce filios meos verbo meo, sic enim tu ipse quoque cum iis vitam animæ non modo conservabis, sed etiam copiosius vitam æternam possidebis; » si enim Reges et Principes hujus mundi tam liberaliter compensant beneficia Filiis suis exhibita, quantopere compensaturum credimus munificentissimum Deum charitatem Filiis suis dilectissimis impensam? si nutricibus Regum Principumque cibi tam sollicite et copiose subministrantur, quis

Deum id ipsum erga Concionatores facturum dubitet? Quod si ob supra dictas tres causas merito dixit sanctus Dionysius: « Omnium divinorum divinissimum est cooperari Deo in salutem animarum: » si S. Chrysostomus asserere ausus est: « Etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam: » si S. Gregorius non minus vere pronuntiavit, majus esse miraculum prædicationis verbo, atque orationis solatio, peccatorem convertere, quam canem mortuum suscitare; quam præclarum erit censendum Prædicatoris munus, per quod aptissima offertur occasio, non unam tantum, sed tam multas animas convertendi?

Quid sit Concio?

Splendidissimum illud Ecclesiæ lumen S. Franciscus Salesius concionem sic definit: « Est publicatio et declamatio divinæ voluntatis, facta hominibus, per eum, qui legitime missus est, ad animos docendos et promovendos ad serviendum Deo in hac vita, ut in altera salvi fiant. » Quia quidem definitione omnia quatuor causarum genera, quæ ad concionem requiruntur, succincte et nerve complexus est, uti ex singularum particularum inspectione patet.

Dicitur itaque primo, *Publicatio et declamatio*: per quæ verba indicatur causa formalis concionis, quæ in hoc consistit, ut ore vel lingua manifestetur et explicetur Auditoribus id, quod Deus ab iis exigere videtur; cum enim Deus, teste S. Paulo I. Tim. II. « Omnes homines velit salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; » ad hanc autem agnitionem non per se ipsum aut Angelos, sed per homines ex altissimo suo divine sapientiæ consilio illos perducere decreverit, homines autem non nisi per voces aut verba docere se multo possint, merito prædicationis exercitium institui a Christo et Ecclesiæ debuit, uti bene S. Paulus ad Rom. X. indicavit dicens: « Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit; quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent in eum, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? »

Dicitur secundo *divinæ voluntatis*, per quæ verba causa materialis seu materia concionis

indicatur, quæ est voluntas divina; cum enim perfectio et beatitudo hominum in fruitione summi boni, quod est Deus, consistat; fruitio autem ista per amorem tamquam unionem moralem, et formalem possessionem tanti boni perfici debeat. Unio autem ista non physice per hypostaticum nexum, sed moraliter tantum, scilicet per voluntatis humanæ cum divina perfectam conformationem contingat, recte colligitur principale objectum prædicationis esse voluntatem divinam, per divinam revelationem nobis manifestatam. Quia vero voluntas divina, quæ adimplenda hominibus proponitur, duplex est, scilicet prohibens et præceptiva, hinc in duas quoque partes objectum dividitur, nempe ut idem velint et nolint homines cum Deo, in quibus iustitia humana, et perfectio consistit, ut David Psalmo XXXIII. recte his verbis indicavit: « Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? declina a malo, et fac bonum, inquire pacem et persequere eam; » ad quæ principalia duo objecta omnes aliæ particulares materie (quæ in concionibus tractari solent) revocari debent, id, quod S. Franciscus suis fratribus succincte et sapienter indicavit, dum jussit, ut vitam et virtutes, infernum et paradysum prædicarent.

Dicitur tertio *per eum, qui legitime missus est*: per quæ verba causa efficiens indicatur, quæ est minister habens legitimam facultatem prædicandi; hæc enim facultas necessario requiritur, tum ut auctoritatem tribuat Concionatori; tum ut efficaciam atque potentiam eidem conferat ad fructuose prædicandum, quæ duæ res sunt instrumentata summe necessaria ad munus hoc cum fructu et decencia obeundum, haberi autem non possunt, nisi per legitimam facultatem seu missionem. Et auctoritatem quidem, quod attinet, quod ea sperari non debeat sine dicta missione, clare S. Paulus ad Rom. X. indicavit, dum dixit: « Quomodo audient sine prædicante? Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? » Hinc neque ipsi Apostoli munus Prædicatoris prius susceperunt, quam a Christo audiverunt MATTHEI XXII. *Evangelii docete omnes gentes*. Quod vero ad efficaciam requiratur eadem missio, satis clare Christus Joannis CAP. XV. indicavit dicens: « Ego sum vitis, vos estis palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere; » quomodo autem manere poterit in Christo, qui non ejus vo-

luntate et imperio prædicationis officium assumpsit?

Dicitur quarto *ad eos docendos et promovendos*: per quæ verba indicatur causa finalis seu finis concionis, qui duplex est, remotus et proximus, ex quibus iste per citata verba indicatur; hæc nimirum collimare debet proxime Concionator, ut *illuminet*, docendo vitia fugere et virtutes exercere; et *accendat* seu moveat ad id, quod docuit faciendum vel fugiendum: id, quod Christus non obscure insinavit, dum Spiritum Sanctum super Apostolos in specie ignearum linguarum misit, indicare scilicet volens, quemadmodum ignis proprium, officium est illuminare et accendere; ita omnes quoque, qui linguas, id est, imperium et facultatem prædicandi Verbi divini a Deo acceperunt, geminas has proprietates possidere debent. Etsi vero interdum delectatio in concionibus quaeri possit, hæc tamen non alia esse debet, ut monet Sanctus Salesius, quam ea, quæ doctrinam et materiam sequitur.

Dicitur quinto *ad serviendum Deo in hac vita, ut in altera salvi fiant*. Hic enim est finis ultimus concionis, cum ideo vita fugere, et virtutes exercere homines debeant, ut voluntatem Dei adimplentes per eam justificentur atque adeo veram vitam, quæ in possessione summi boni consistit, obtineant, et conservent, id quod Christus JOANNIS X. indicavit, dicens: *Ego vni, ut vitam habeant, et abundantius habeant*; cum ergo apud eundem dicat: *Sicut me misit Pater meus, et ego mitto vos*, recte concluditur, eundem quoque finem Concionatoribus propositum esse debere. Ex quo iterum obiter colligitur, quam convenienter Concionatores Patribus familias seu hospitibus comparentur, cum, sicut horum potissimus scopus est, efficere, ut convictores cibum sibi oblatum comedant, et sic vitam corporalem conservent; ita Concionatores verbum divinum prædicare debent suis Auditoribus, ut vitam animæ habeant, et abundantius habeant per voluntatem, de qua Christus Jo. IV. dixit: *Mens cibis est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*.

De primo officio Concionatoris seu materie electione.

Sicut Pater familias antequam cibos præparet, et convictoribus apponat, prius materias congregat, et circa hanc tria potissi-

mum observat. Primo eligit et determinat, qualem proponere velit, scilicet conditionem et naturam convictorum accomodatum. Secundo ab illis mercatoribus illam emit quos optimam et recentissimam habere cognovit. Tertio in penu eam recondit, ut suo tempore sibi servire possit; ita eadem capitam Concionator in materia pro concione praeparanda observare debet, uti in sequentibus membris ostendetur.

MEMBRUM I.

De electione materiae.

Sicuti ergo ante omnia Paterfamilias attendit, quales convictores habeat, ne, dum solidos cibos infantibus, et teneriores adultis apponit, plus noceat, quam prosit; ita Concionator quoque Auditorum suorum conditionem et qualitatem considerare, iisque doctrinas suas accomodare debet, id quod eleganter S. Gregorius lib. XX. moralium cap. 1. super illud Jobi: « Super illos stillabit eloquium meum; declarat sit dicens, Debet Praedicator perspicere, ne plus praedicet, quam ab audiente capi possit, ne, dum parvis sublimia et non profutura praedicat, se magis curet ostendere, quam Auditoribus prodesse; » ita profecto Sanctus Paulus exemplo suo docuit, dum ad Corinth. c. III. sic scripsit: « Et ego, Fratres, non potui vobis loqui tanquam spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam parvulis lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis. » Caveat ergo Concionator, ne apud plebem et rusticos de iis facile agat, quae non nisi ad perfectionem Religiosorum aut Clericorum pertinent, qualia sunt, severa castigatio corporis, studium contemplationis et solitudinis, perfecta sui abnegatio et similia. Caveat secundo, ne pro scopo principali assumat facile speculativam questionem de Deo, Incarnatione, Angelis, etc. v. g. Quomodo Spiritus Sanctus procedat, Christus satisfecerit pro peccatis, aut scilicet ea vera iustitia vel non; quomodo Angeli loquantur, puniantur, etc. Caveat tertio, ne, dum apud homines altioris status et dignitatis concionatur, concionem suam sublimibus et ingeniosis conceptibus referat, sed potius sibi persuadeat, et hos plerumque in rebus spiritualibus parum exercitatos esse, atque adeo proinde, ut alios lacte, id est, com-

muniore doctrina opus habere, et vero etiam libentius audituros, quam si nonnisi altae et speculativae disputationes instituantur; quem in finem proderit referre, quod de aulico quodam Concionatore quondam audire me memini, quod scilicet, cum ab initio per aliquot annos de sublimibus materiis sublimiori modo dixisset, nemo aulicorum facile illius amicitiam et conversationem ambierit. Postquam autem missam aliquando et similes materias practice explicare coepisset, adeo gratus factus fuerit, ut passim ad eum aulici accederent, suaque de auditis in concione dubia proponerent. Sed et alios non paucos novi, qui ingentem populi accursum in suis concionibus habuerunt, eo quod materias practicas, et ad quotidianum vitam usum pertinentes vulgari et ad captum accomodato modo proponerent, cum interea alii sublimioribus conceptibus intenti vix paucissimos Auditores numerarent. Et quid amplius volumus, annon clarissimum huius rei exemplum in ipso Christo habemus? annon ille suis concionibus amplissimum fructum fecit? annon ingentem hominum numerum attraxit? annon audire meruit, *Nunquam sic homo beatus est?* et tamen quam humilem loquendi modum adhibuit. Hinc merito Societas Jesu Concionatoribus suis hanc regulam praescripsit: « Ea populo proponant, quae ad captum et utilitatem Auditorum erunt accomodata, iisque insistant, quae ad Christianam institutionem, atque ad extirpanda vitia, et virtutes inserendas valent, et rerum sublimium curiosa tractatione se abstineant. Commendare autem debent Confessionis et Eucharistiae frequentem usum, in Ecclesiasticarum Cereemoniarum observantiam bonis operibus profectum, et perseverantiam et caetera, quae ad cultum divinum pertinent, eamque obedientiam, quae Principibus et Praelatis, qui Dei in terris vices gerunt, exhibere debent. Commendabunt etiam peculiari ratione Penitentiae et misericordiae opera, sanctorum precum et aliarum piarum devotionum exercitia, utilium librorum lectionem, et bonam filiorum educationem.

MEMBRUM II.

De libris, ex quibus petenda est materia Concionum.

Sicut Paterfamilias, ubi materias pro ci-

bis determinaverit, pro ea comparanda ad eos se mercatores confert, ubi eam optimam et recentissimam inventurum se sperat; ita Concionator quoque materiam et argumenta ex iis potissimum libris et Auctoribus petere debet, qui solide et docte eam pertractant; quos proinde dignoscere non parum refert.

Primo itaque et principalem locum habere debet sacra Scriptura, de qua S. Augustinus loco supra citato recte dixit: « Major est hujus Scripturae auctoritas, quam omnis humani ingenii perspicacitas; quidquid enim (ut idem capit. ultimo de doctrina Christiana ait) homo extra eam didicerit, si noxium est, hic damnatur: si utile est, hic invenitur, et cum ibi quisque invenerit omnia, quae utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea quae nusquam alibi invenire potuit. » Clarius vero fructum hunc, qui ex Scriptura sperari posset, explicat Sanctus Isidorus desummo bono, dum ait: « Geminum confert donum sacrae Scripturae, sive quia mentis intellectum erudit, sive quia a mundi vanitatis abstractum hominem ad amorem Dei perducit. » Quod ipsum Sanctus Paulus II. ad Timoth. III. indicaverat dicens: *Omnia Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad urgendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.*

Secundum locum Sancti Patres merito tenent, quia hi, ut bene notat Sanctus Salesius in modo concionandi a se composito c. III. nil aliud continent, nisi Evangelium explicatum seu Sacram Scripturam compositam; talis proinde inter doctrinam illorum et Sacrae Scripturae est differentia, qualis est inter amygdalum decorticatum, et amygdalum sub cortice reconditum; vel qualis est inter panem integrum et panem divisum; familiarissime igitur iis, inquit, utendum tanquam instrumentis, per quae Altissimi verborum verum sensum nobis communicavit; unde recte iis applicatur Ecclesiastici c. VIII. facta adhortatio, dum ait: *Non te pretereant narratio seniorum; ipsi enim didicerunt a patribus suis, quoniam ab ipsis disceres intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum.*

Tertium locum vitae Sanctorum et aliae similes Sacrae historiae approbatae obtinent, quia, ut idem S. Salesius loco citato ait, vitae Sanctorum nil aliud sunt, quam Evangelium opere completum; neque aliud inter Evangelium scriptum et vitae Sanctorum discrimen est, quam inter musicen notis nota-

tam et musicen voce decantantam, unde nihil utilius, praestantius, et laudabilius est illis.

Quartum locum ascetici libri et concionatorum sibi vindicant; quia hi similes sunt apibus, qui Sacra Scriptura, Sanctis Patribus et vitis Sanctorum velut bene olentibus flosculis per continuum studium insidentes mel spiritualis doctrinae dulcissimum exugunt, et in conciones, et libros suos velut aptissimam alvearia transferunt, unde merito quoque magna illis auctoritas tribuenda est, tanquam utilissimo compendio Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum, et vitarum Sanctorum.

Quintum locum merentur profanae historiae, de quibus tamen recte notat S. Salesius loco citato, quod modice iis utendum sit; sicut scilicet vescimur fungis ad appetitum extimulandum; attendendum praeter, ut convenienter atque ad propositum erantur, et, ut S. Hieronymus monet, iis faciendum est, quod Israelitae mulieribus captivis, dum illis nubere vetuerant, faciebant, dum scilicet illis ungues praeindebant, et capillos delondebant: ita nimirum historiae istae cogendae sunt, ut integræ Evangelio subserviant, et ad veram Christianam virtutem conducant, submovendo, quod in actionibus Paganorum et profanis alicui offensioni subjacere posset; hinc in praestantia Caesaris v. g. adimenda et notanda ambitio: in fortitudine Alexandri perimenda vanitas, contumacia, et animi elatio; in castitate Lucretiae praetereunda est mors violenta ex desperatione illata, et sic de reliquis loquendo.

Sextum locum habere possunt naturales historiae; nam, ut bene notat S. Salesius, mundus verbo Dei conditus ex omni parte laudem cantat Conditoris, et liber est, qui verbum Dei complectitur, sed tali exaratum idiomate, quod omnes haudquaquam dignoscant, pluribus est occultum, illi tamen, quibus per meditationem liber hic innotuit, utiliter eo utentur; exemplum sequuntur S. Antonii, qui alterius Bibliothecae erat nescius, audivitque attente S. Paulum dicentem, quod visibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. Praecipue tamen hic liber conducti pro similitudinibus a majore ad minus deducendis, quibus antiqui Patres frequentissime sunt usi, neque etiam Sacra Scriptura designata est, hinc dicit: *Vade piger ad formicam: sicut gallina*

congregat pullos : quemadmodum deciderat cercus : quasi struthio agri : videle illa agri.

Septimum locum merito concedere possumus antiquis quibusdam Philosophis v. g. Aristoteli, Platoni, Senecæ, Epicteto et similibus, quorum doctrinæ non leve argumentum suggerunt ad Christianos convincendos, si nempe hi tam copiose fidei lumine illustrati aut nesciant, aut facere reuuant, quod illi solo nature ductu intellexerunt, et tam fortiter interdum sunt executi, unde selectiores horum Philosophorum sententiæ inuilliter quandoque citantur, dummodo Catholicæ doctrinæ concordent, et ad finem supra dictum ordinentur.

Octavum locum denique et ultimum habent Poetarum fabulæ aut aliorum, quos non aliter usurpandos a Concionatore monet S. Salesius, atque ipsis antidotis utimur, ut scilicet quis facile capiat, quod horum non velimus professionem facere. Verbum Poetarum sunt valde utiles, unde etiam veteres aliqui Patres iis sunt usi, imo et ipse sanctus Paulus Aratum et alios citavit.

MEMBRUM III.

De bibliotheca a Concionatore paranda.

Ex iis, quæ modo dicta sunt, facile nunc apparet, bibliothecam Concionatori necessariam esse, Auctores et doctrinas, ex quibus argumenta desumenda diximus, continentem; quia vero multum refert, tam ad sumptus inutiles cavendos, quam ad curiositatem, quæ evolutione multorum librorum reperitur et non modice animum distrahit, evitandam, ut solida et utilis bibliotheca comparetur; ideo paucas ad hunc finem regulas Concionatori suggeram.

Prima itaque regula hæc esto: *Pauci, sed utiles libri comparandi*: ratio est, quia multitudine librorum incenditur curiositas vagandi per illos; unde quia intellectus pluribus intentus minus se ad certas et utiliores materias applicat nullum solidum fructum ex tali lectione haurit. Deinde multi libri eandem rem alis dumtaxat verbis, et modo proponunt, unde præstat doctrinas communiores in paucis libris comprehensas habere.

Secunda regula est: *In omni materia, cujus scientia a Sacerdote requiri potest, unus saltem auctor est comparandus*, et is maxime qui optime talem materiam tractare creditur;

ratio est, quia, cum memoria nostra satis labilis sit, hoc subsidium merito necessarium creditur, ut, in quo nos deficere advertimus, in eo a tali auctore sublevemur.

Tertia regula: *Illi maxime emendi auctores, qui utiliores sunt*, id est, qui plures tales materias, quæ in quotidianum usum veniunt, pertractant, et plura genera locorum, ex quibus argumenta desumenda sunt, continent; sic enim et pretii, et laboris insignie lucrum acquiritur, dum in uno libro obtinetur, quod in multis laboriose esset querendum.

Quarta regula: *Nullus liber incognitus facile emendus*, id est, nisi Concionator prius indicem materiarum, et aliquot capita, ex quibus modum proponendi cognoscere queat, perlegerit; ratio est, quia, licet sæpe auctor aliquis a variis viris doctis commendetur, id tamen interdum tantum sit propter ingeniosos conceptus, ac sublimes sensus et interpretationes, quæ omnia parum prosunt Concionatori tyroni et plebeio (qualem hic potissimum instituendum sumpsit) ad conciones plebi populoque parum literato habendas.

Quinta regula: *Ceteris paribus illi libri preferendi sunt, qui bonos indices habent*; quia tales indices, cum sint breve quoddam compendium libri, mire juvant Concionatorem ad optatum finem et fructum, quem ex tali libro maxime querit, reportandum.

His regulis bene observatis distinguat Concionator inter Bibliothecam necessariam et non necessariam, sed utilem tamen, studeatque prius illam comparare, quam posteriorem emat; necessariam autem bibliothecam voco, quæ constat iis libris, sine quibus difficulter munere Concionatoris, aut Pastoris fungi poterit, quales frequentes esse iudico.

Scriptuarii.

Scriptura Sacra Latino et vulgari sermone descripta, ut textus, qui intellectus satis difficiles sunt, convenienter etiam vulgari idiomate interpretari queat Concionator.

Concordantia Bibliorum ad locos Sacre Scripturæ querendos imprimis necessaria. Aliquis interpres Sacre Scripturæ, qui saltem succinctorie explicet difficiliora loca Sacre Scripturæ; qualis v. g. est Tirinus, Menochius, etc.

Flores Bibliorum et Doctorum, qui sunt parvi duo libelli, sed utiles valde, ut qui

contineant locos communes et sententias Sacre Scripturæ et sanctorum Patrum circa omnes fere materias, nisi malit Polytheicam Langii emere, quæ et has et plures alias res continet.

Concionatorii.

Mathiæ Fabri Conciones, quas præ aliis suaserim ob materiarum et conceptuum insignem copiam et varietatem, ita, ut si perite hunc auctorem usurpare noverit, Concionatori vel solus sufficere queat materiam pro concionibus per multos annos habendis.

Laurentii Foreri vita Christi in quatuor tomos distincta, ubi magnam copiam doctrinarum moralium et conceptuum pro concionibus reperiet, et præterea omnes etiam fere præcipuos hujus temporis controversias succinctorie et solide tractatas.

Pædagogus Christianus liber apprime utilis, ut qui materias ad vitam Christiano modo insituendam contineat, et accommodata valde ad conciones parandas ratione pertractet.

Historici.

Vitæ Sanctorum a Zacharia Lipeloo, aut qui magis fere placet, ab Heriberto Rosweido conscriptæ.

Speculum Exemplorum, vel Catechismus historicus Antonii Danrolfii, qui uterque liber continet historias ad virtutes et vitia pertinentes.

Ascetæ.

Opera Hieremias Drexellii, quæ, si omnia habere potest, duobus tomis in folio collecta, optimum habet subsidium ob copiosos indices non Materiarum dumtaxat utilissimum, sed conceptuum etiam in Evangelica dominicalia et festiva digestarum; quia tamen hi tomus sat magno pretio venduntur, ideo aliquot saltem ex his libellis comparare studeat v. g. Phaethontem, Rosas, Marianas, Gymnasium patientiæ, Heliotropion, Trismegistum, Prodromum æternitatis, Rogum damnatorum, Nicetam, Coelum, Rhetoricam celestem, amussim.

Summa vitiorum et virtutum Guillelmi Peraldi, aut Beati Alberti Magni Paradisus, vel Jacobus Alvarez de virtutum adeptione

et vitiorum extinctione; hi enim libelli ad naturam virtutum et vitiorum seruiunt, quæ, ut vidimus, sunt potissima materia ad concionem recte intelligendam.

Seelen-Hülff Martini de Roa, libellus de auxilio purgantibus animabus ferendo et valde solide hanc materiam pertractans, vel alius similis.

Casista et controversista.

Pauli Laymanni Theologia moralis, quem merito quisvis Sacerdos habere deberet, ut qui solide et succinctorie atque accommodata ad nostra tempora hanc materiam pertractat.

Hermanni Busebaum Theologia moralis medulla, qui libellus, quia nervose et compendiose omnes materias practicæ Theologiæ complectitur, et varias inde resolutiones deducit, merito etiam valde commendari debet cuius Sacerdoti et Concionatori.

Manuale Martini Becani, vel colloquia Catholica Patris Christophori Pssaumer germanice edita, vel Clypeus fidei germanico idiomate conscriptus, qui omnes tres libri valde utiles sunt ad controversias in compendio recedendas.

Varii.

Catechismus Romanus vel Trevirensis. Concilium Tridentinum.

Rituale et constitutiones Diocesanæ Georgii Vogleri Catechismus et *Trost-Brunn*.

Dictionarium, Promptuarium et Smetius, vel Amalthæum prosodicum pro usu Latine lingue perficiendo, et vocabulis Latinis recte pronuntiandis.

Bibliotheca librorum utilium.

Et si ex libris supra assignatis magnum possit habere subsidium Concionator, negari tamen non potest, superesse adhuc multos alios, a quibus magnopere posset iuvari in munere suo recte obeundo, quorum proinde aliquos obiter indicare proderit, ut eos suo tempore, si sumptus suppetant, comparare queat.

Ex Scripturariis adhuc emere posset Cornelium a Lapide, qui in perosque S. Scrip-

turæ libros commentatus est. Quod si omnes tomos emere non possit, saltem commentarium ejusdem in Evangelia et Epistolas emat, ut qui materias frequentius occurrentes continent. Toletum in Lucam, et Sebastianum Baradium in concordiam et historiam Evangelicam. Franciscum Riberam in Epistolam ad Hebraeos, et sancti Joannis, qui valde solide docet modum interpretandi et intelligendi Sacram Scripturam.

Ex Theologis curet aliquem saltem Theologum Scholasticum habere, ad quem in dubiis recurrere possit, quique non nimis fuscè totam materiam Scholasticæ Theologiæ pertractet, quales esse possunt Tannerus, qui etiam practicas materias, et Germaniæ nostræ potissimum subservientes clare admodum et succincte tractat; vel Gregorius de Valentia, vel Martinus Becanus. In Theologia autem morali Ferdinandus de Castro Palao, qui omnes materias solide, sufficienter et compendiose pertractat. Thomæ Sanchez opus morale et de Matrimonio. Compendium Dianæ in quarto editum, vel in folio: Hortus pastorum Petri Marchantii, aut Patris Georgii Gobat Theologia Fundamentalis.

Ex Concinatoribus comparare adhuc potest Henrici Engelgrave Lucem Evangelicam in Dominicis, et Pantheon ac Cœlum Empyræum in festa. Joannis Gayler Kaiserspergi aliquot opera v. g. Sermones de oratione et passione. Navicula penitentiae, ubi practice valde et ad populum apposite tractantur hæc materie. Conciones Discipuli, in quibus primarius quidam Concinator fatetur, se artem utiliter concionandi didicisse. Nucleum Copenstainii ex conceptibus prædicabilibus Petri Bessei, ubi copiosam materiam locorum et allego- riarum ex Sacra Scriptura petitarum inveniet. Matrem admirabilem Georgii Pistorii, et ejusdem *Klag-Haus*, qui duo libri pro concionibus de B. Virgine et animabus purgatorii habendis copiosam suggerunt materiam.

Ex Ascetis servire ei possunt Alphonsus Rodriguez de perfectione et virtutibus Christianis. Franciscus Arrias de imitatione Christi. Passio novo antiqua Patris Leopoldi Mancini, ubi valde multas doctrinas morales practicas concionibus inservientes inveniet. Viridarium et Pomarium Joannis Bussæi. Jacobus Salianus de Timore et Amore Dei. Francisci Salesii opuscula præcipue introductio ad vitam devotam, et ejusdem regulæ. Dux peccatorum Ludovici Granatensi. Joannes Nierenbergius de adoratione in spiritu et veritate.

Isagoge ad amorem divinum Patris Petri Pennequin.

Ex Historicis multum juventur vitæ patrum a Rosweido illustrata. Regnum Dei germanico idiomate conscriptum, Calendarium Beatissimæ Mariæ Virginis germanice editum, Epitome Cardinalis Baronii. Jacobi Gordani Chronologia in folio, ubi omnes hæreses etiam suis doctrinis fuscè et solide et referuntur et refutantur. Brachelii historia nostri temporis.

Ex variis addere potest Ravisi Textoris Officinam, quæ est compendium quoddam eruditionis profanæ: Simonis Maioli canonicæ dies qui auctor de omnigena materia curiose satis discurret, Moralitates Bibliorum Petri Berchonii, Summa F. Joannis a sancto Geminiano qui liber de omnium rerum proprietatibus disserit, ac varias inde morales doctrinas deducit. Similitudines selectæ ex Sanctis Patribus et aliis auctoribus ab Alexandro Ambstelrodano. Porro circa hanc geminam bibliothecam sequentia diligenter notanda sunt, ut solidus ex illis fructus referatur.

Primum est, ut non existimet Concinator hos solos libros ob sui utilitatem cæteris esse præferendos, sed ideo tantum a me esse citatos quia eorum utilitas, materia, et modus proponendi mihi magis perspectus est, unde si vel ipse aliquot alios libros his utiliores, vel meliores cognoverit, vel ab aliis commendari audiverit, poterit pro suo arbitrio inter illos comparare, vel assignatis præferre, modo regulas supra assignatas observet.

Secundum est, ut, ubi aliquem librum emerit, vel alio modo comparavit, quamprimum commode potest, indicem capitum vel questionum ab illo tractatarum percurret, ut generalem saltem libri illius et materiarum in eo contentarum cognitionem habeat.

Tertium est, ut tempore illo, quod ab aliis curis magis necessariis vacuum est, auctores illos, qui magis utiles ipsi videbuntur, ad finem præfixum a capite ad calcem legat, et ex iis selectiora in charta ad hoc destinata denotet, quod quidem, qua ratione fieri possit, mox docebo.

MEMBRUM IV.

De modo fructuose notandi.

Sicuti Patresfamilias ordinariæ cellam quam-

dam penuriam, in qua materiam pro cibis suo tempore proponendam asservant, ita similem quoque industriam tanto diligentius adhibere debet Concinator, quanto majorem inde utilitatem, facilitatemque in concionibus faciendis sperare potest. Porro cellæ hujus penuriam vicem notata, quæ ex variis libris collegerit, subibunt, quam quidem, ut instruat, duos sibi libros seu thecas parabit.

Primus continebit materias remotas, id est, sola themata, et conceptus pro concionibus faciendis, qui quidem liber practice videtur sic conficiendus. Primo sumatur quaternio complicatus, et in quatuor partes divisus (hæc enim foliorum divisio et forma præ cæteris apta videtur ad notandum) in cujus initio scribatur titulus Festi vel Dominice, pro qua conceptus annuntiandi sunt; tum subjungatur paucis verbis ipse conceptus, numero tamen aliquo, qui eum ab aliis conceptibus distinguat, præfixo, quod si de eo conceptu ab auctore quopiam factam aliquam concionem vel certe eum fusius explicatum inveniet, breviter adjungere locum illius libri poterit. Idem faciendum suadeo, si ipsemet Concinator de illa materia jam fecerit concionem, tum enim adscribere poterit: vide tuas conciones, hoc vel illo folio aut loco. Annotatis sic conceptibus pro una Dominica, ad aliam pergat, relicto tamen duorum vel trium foliorum spatio pro conceptibus pluribus præcedentis Dominice, et sic per omnia alia Festa et Dominicas progrediatur; quod ut ordinate fiat, et ut facile locos communes invenire possit, judicio Dominicæ quidem secundum consuetum ordinem ponendas, in Festis vero ordinem dignitatis, eo fere modo quo in litanis majoribus observari solet, servandum esse, ita tamen, ut in fine adjungat titulos pro Comuni Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, pro festo dedicationis, pro animabus purgantibus, pro supplicationibus, pro primitiis, pro funeribus, etc.

Secundus liber materias proximas continebit, in quo potissimum selectiores Sacra Scripturæ; SS. Patrum Asoetarum et Philosophorum sententiæ, item historiæ, similitudines, auctores fusius de proposita materia scribentes, etc. annotanda sunt, in quibus tamen conscribendis non eundem omnes modum servati. Tres fere sunt potiores, quorum quemlibet referam, simulque commoda et incommoda, quæ affert, indicabo.

Primo ergo aliqui quaternionem accipiunt,

et in ea omnia, quæ digna notatu videntur promiscue annotat, additis tamen cuicunque materiæ novæ numeris. Ut vero facile materias themati snoinservientes invenire possint, in fine indicem conficiunt, in quo per diversos titulos indicant, quid de quavis virtute aut vitio annotaverint. Illud tamen recte notant nonnulli, hos titulos non nimis generales esse debere, quia magnum in seligendis aptioribus sententiis aut historiis laborem facessunt, unde non tantum scribendum est *humilitas*, sed *humilitas honorata*, *præmiata*, etc. Ille modus notandi illud potissimum commodum habet, quod non multe vacuæ chartæ relinquuntur; neque multum deliberandum sit, quo quidvis loco annotari debeat; incommodum vero non modicum referunt illi, qui eum observant, quod, si numerus excresecat, et pro eodem titulo centum vel plures numeri habeantur, omnes aut plerique magno labore percurreri debeant, ut selectiores sententiæ vel historiæ eligi possint.

Secundo alii tres vel quatuor quaterniones assumunt, et in eorum primo hunc titulum præfigunt: *doctrinalia*, atque adeo solas sententias sanctorum Patrum, aut etiam aliorum Doctorum nobiliores annotant, servato ordine eodem, quem supra indicavi. In secundo præfigunt titulum: *historica* et in eum solas historias scribunt: in tertio ponunt titulum *miscellanea* et in eo scribunt quidquid notatu dignum occurrit, atque ad aliquem ex primis duobus quaternionibus revocari non potest, qualia esse possunt, Apophthegmata, similitudines, parabole, fabulæ, loci auctorum annotati, quid e aliqua materia eleganter scriperunt, versus etiam postarum, et alia similia. Porro pro his omnibus quaternionibus generalem indicem faciunt, ita tamen, ut si de virtute aliqua v. g. sententiam elegantem annotaverint, eam præfixa littera D. et numero addito significant, quod signum est, eam in adversariis doctrinalibus querendam esse, et sic eodem modo historias littera H. miscellanea littera M. numero præfixa indicant.

Ille modus illud commodum habet, quod ordinalius omnia disponat, et si quis v. g. historiam tantum habere velit, facilius eam inveniat, cum ii, qui priorum modum observant, omnes numeros percurreri debeant.

Illud tamen etiam incommodum patitur, quod nec ipse satis liberetur ab ea molestia,